

^k Quando Carolus coronatus est imperator Romanus.

CAP. VI.

Eodem anno coronatus itaque est Carolus a domino Papa, cunctis principibus Italiae assensum praebentibus, in Romanorum imperatorem; totam Campaniam et Apuliam [a] (33) cum Calabria Romano subegit imperio, ac insuper versus Siciliam et Farum Micinarum [b], quantum equus natare valuit, intravit, atque telum, quod in manu habebat, fortiter lanceans, in columna marmorea [c] multum infra mare posita, fixit. Fertur etiam dixisse: in regno Italiae non debet reguare, qui de ^{maritimis} totaliter [d] nequit triumphare. Inde prospere Romam reversus, privilegia Romanae Ecclesiae (34) iurejurando firmavit. Remuneratis igitur militibus Faventinis et aliis Italicis, in Galliam Imperator regrediens, (35) Saxones, vi et precibus, baptizari coegit. De quo dicitur:

Saxonum Karolus princeps, et apostolus ipse;

Karolus Orbis honor, Orbis et ipse dolor [A].

Hic etiam Saracenos, qui erant in Germania, Britannia, Hispania modis omnibus flagellavit, et infinitos ad fidem Christi convertit (36).

De proelio Palatinorum apud Roncisvallem [e], et obitu eorum [f].

CAP. VII.

Hujus siquidem imperatoris Caroli temporibus [g], XII Palatini [h], videlicet Turpinus archiepiscopus Rhemensis, Rolandus, et Auliverius, Guarinus de Anfelice, comes C...., Berengarius [i], Iuvus de Avolio [j], Angelerius et Saxomundus [k], An-

[a] Apuliam. Sic lego. Puliam Codd. M. et V. — [b] et Farum Micinarum. Sic. codd. Nota Micinarum pro Messanae, vulgo, il Farro di Messina; latine, Promontorium Pelori. — [c] in columna marmorea. In C. M. legitur colupna. — [d] de maritimis totaliter, sic legendum puto, pro de maritimis. C. M. videtur habere de Martyrii; quod amanuensis ignorantiae tribuendum est. Cl. Mittarellius, cum assequi integram vocem non posset ob literas vetustate deperditas, sic legit: de Mare... taliter. Sic quoque habet C. V. — [e] Apud Roncisvallem, C. V.; Roncivallem, et Roncevallem habent Codd. M. et V. — [f] et obitu eorum. Sic legendum. C. M. obitus, vel obitum habet. — [g] Caroli temporibus. Deest temporibus in textu; nec quidem omnino est necessarium hoc additamentum. Addidi tamen, ne desideraretur. De Carolo hic iterum fit mentio. Ideo, licet ordine sit caput hoc X in codicibus, huc transfertur, ut temporum seriem servemus. — [h] XII Palatini. C. M., sic, XII Palatini; C. V. duodecim Palatini. — [i] comes C.... Berengarius. Secundum verbum in C. M. legi nequit, deficitque in aliis codd. — [j] Iuvus de Avolio C. M.; in C. V. unus de Avolio. — [k] Saxonundus, C. M.; Saxenundus C. V.

[A] Carmina quaecunque in hac historia occurrunt, in codicibus erant scripta continuata oratione, non distincta, ut ea sibi modo sistunt.